



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopo criminato, si episcopi comprouinciales in eius criminatione  
dissenserint. cl.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ex concil. Cartha. cap. 12.* **F**elix episcopus dixit: Suggesto secundum statuta veterum conciliorum, ut si quis episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & nimia necessitas ei fuerit non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, à XII. episcopis, & presbyter à sex episcopis, cum proprio suo episcopo audiatur, & diaconus à tribus.

*De episcopo criminato si episcopi comprouinciales in eius criminatione dissenserint. Cap. CL.*

*Ex concil. Antioche. cap. 14.* **S**i quis episcopus de certis criminibus diiudicatur, & contingat de eo comprouinciales episcopos disside- re, cum iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis aestimatur, propter huius ambiguitatis absolutionem sanctæ synodo placuit, ut metropolitanus episcopus à vicina prouincia iudices alios conuocet, qui controuersiam tollant, & ut per eos simul, & per comprouinciales episcopos quod iustum fuerit visum approbetur.

*Ut episcopis nullus laicus crimen imponere possit. Cap. CLI.*

*Ex decre. Syluest. papa, cap. 1.* **I**n consensu & subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus episcopo, vel alicui in ordinibusposito, crimen aliquod possit inferre. Et ut presbyter non aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolytum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem, det accusationem aliquam. Et non damnatur præsul, nisi in LXX. duobus idoneis testibus.

*Quod inimici accusatores esse non possint. Cap. CLII.*

*Ex decre. Anacleti papa, omnibus episcopis missis, ca. 37.* **A**ccusatores autem & testes esse non possunt, qui in proximo facti sunt inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci se velint. In offensis igitur, accusatorum & testium affectus quærendus est, & non suspectus.

*Ut episcopi accusatorum episcoporum iudices esse debeant. Cap. CLIII.*

*Ex decre. Damasi papa, cap. 3.* **A**ccusatorum episcoporum iudices esse decernimus episcopos sapientes, rectè & iustè volentes. *Qualiter accusatus episcopus discutiendus sit apud patriarchas vel primates, & quot testibus conuinci debeat. Cap. CLIIII.*